

Itali eruditissimi) obstupuit porro Italia, cum vidisset validissimam hispanorum manum non solum supra moenia, sed medijs in celeberrimis suis urbibus insigne litterarium hispanum extolentem, ac pro Patriae nomine & gloriâ invictissime decertantem. Nam cum Hispani animadvertent eximiam nostrae gentis in litteris praestantiam ab Itolorum nonnullis detrectari invidiosè, ab alijs ignorari prorsus, cominus cum illis digladiantes, omnigenam omnium etiam aetatum hispanam eruditionem apertè adeò demonstrarunt, ut in mediâ Italiâ de suis Hispania obtrectatoribus triumpharet. Ecqui enim verò, imperante CAROLO, Hispani, Americanive apud nostras, vel apud exterarum degentes plagas praestanti aliquâ de litteris laude excelluerunt, quos Sapientissimus Rex amplis propositis & collatis praemijs, tum in singulos annos certâ attributâ pecuniâ non erexerit, non confirmavit, non ad motis stimulis ad scientias incitarit.

Istas nihilominus, quas haecenus commemorabimus, de bello laudem, in pace & otio tranquillitatem, in excolendis litteris assiduitatem & gloriam flocci fecisset CAROLUS, nisi easdem avitae Christi Catholicae Religioni ut famularentur, accessisset. Sic enim existimabat: belli pacisque

ornamenta omnia, disciplinarum culturam, opes fortunasque fallacia, vana, nec nisi inanis felicitatis spectrum esse, quae verae Religionis servitio & custodiae non addicuntur: insanire propterea eos Principes, qui fictam quandam Religionis speciem praeseferentes, id unum spectant, ut populorum fides tanquam quibusdam vinculis obstricta teneatur, nullâ caeteroquin sinceri religiosi cultus habitâ ratione; quasi aut Deus nullus esset qui inferiora isthaec regens, regnorum felicitatem moderaretur, aut verò ipsi Deo ficta atque ad decipiendos populos simulata religio placere posset: eos autem qui falsae religionis dogmata, veram unam aspernantes catholicam, sectantur, ut olim Ixionem, Poetae ferunt, nubem amplexatum, cum sibi Junonem complecti videretur, ut ut fortunatam nacti videantur rempublicam, miseram illam mille discordijs, seditionibus obnoxiam experiri tandem necessum esse.

Haec, Auditores, quoniam de pientissimi CAROLI tuendae ac conservandae religionis studio seriùs omninò, quam mens fuerat, quamque tantae dignitas rei postulabat, verba sum facturus, verer, ne cum plus justo immoror, vobis essem fastidio, nisi certò scirem, nullam, quantumvis longam, de CAROLO laudem hispanis hominibus molestam

(XXVI)

& prolixam videri. Ne tamen avidissimè omnia me persecutum quisquam reprehendat, praeteream tacitus virtutes illas, quibus religiosissimus Princeps & populis exemplo praeibat, & eos ad omne religionis officium excitabat. Jucundissimam hanc lustrabunt provinciam sacri Oratores, qui, quâ pollent dicendi ubertate, disertissimè exponent: Quâ vultus animique modestiâ rei divinae interesset, nunc genuflexus, nunc ad duas plus stans horas, modò in terram demissis, modò ad altare intentis oculis; ut omnes intelligerent in Divina, quae peragebantur, Mysteria altissimâ contemplatione esse defixum: quâ statis diebus reverentiâ Christi corpore reficeretur; quâ fermè singulis peccata apud Sacerdotem expiaret: quâ pietate sanctissimum idem corpus, cum ad aegros viaticum deferebatur, pedibus iens comitaretur: quâ observantiâ Dei Ministros, tunc cum ipsi obviam fiebant, detecto capite, manu semel atque iterum veneraretur: quâ munificentâ, probè sciens opes nusquam melius, quàm in Dei cultu collocari, templa sacris vestibus, aureis ingentis pretij vasis atque omnis generis supellectili donaverit. Ad haec, si alias humanitatis non minùs, quàm religionis comites egregias CAROLI virtutes commemorari audieritis, quibus sanè jucunditate at-

(XXVII)

que admiratione perfundemini? Etsi tamen inest singulis virtutibus supernum quoddam, quo ad summam Dei naturam accedimus; habent mansuetudo & clementia Divinum nescio quid, quo quantum homo homini propiùs conjungitur, tantum humana praetervectus, Deo existit simillimus. His autem divinis virtutibus quis unquam CAROLO superior fuit? Qui privatas adversus se injurias cum ultrò & libenter ignosceret, si cui tamen sonti jura vetabant indulgere, afflictabatur, discruciabatur animo, nec, nisi reluctans atque invitus, quempiam unquam capitis damnavit. Princeps verò tam mansuetus & mitis, cui operosius multò erat justâ quamvis accendi irâ, quàm alijs ab iracundiâ temperare, turpes obscoenos homines exosus fastidiebat, execrabatur, inque eos multis, exilio, ac severissimis alijs poenis animadvertibat. Tanta erat illi cum mansuetudine conjuncta morum pudicitia & castimonia, ut fato functâ lectissimâ Amaliâ, aetate quamvis vegetâ & robustâ consisteret, non solum nuptijs alijs, indignum propè maturo viro ducens secundas nuptias cogitare; sed spectaculis, choreis, musicis atque omni molli voluptatum lenocinio abstinerit.

Et mirabitur quisquam, cujus ille incorruptis fide & moribus observantissimus fuit, ejusdem

(XXVIII)

in omni suâ ditione asserendae, purissimaeque conservandae Religionis pijssimis institutis atque indefessâ vigilantia auctorem extitisse? Nolo, Auditores, crudelissima & luctuosissima, quibus per totam ferè Europam tentata & impetita, aut prostrata jacet, aut vix semianimis spirat Catholica Religio, commemorando vulnera, vestros animos vehementius commovere. Vos ipsi non sine intimo doloris sensu benè noscitis, ut longè latèque monstrum illud haeresis, horrendum, ingens, cui lumen ademptum, florentissima Regna & Provincias invadens, veram Jesuchristi Ecclesiam nefario indicto bello concusserit, diruperit, dilaceraverit. Horret illud ad nostras oras propiùs accedere, & summi Dei nunquam satis laudandâ providentiâ, Hispaniae nomen ipsum exhorrescit. Ut nè verò subdolus hostis larvatus aliquando inter nos versaretur, quanta providit CAROLUS, quantum dies noctesque cogitando laboravit? Hoc sanè incredibili studio veritatis Christianae integrae conservandae Judaeorum gentem è Neapolis finibus relegavit: nullam ille in Religione vel levissimam passus est jacturam: nihil unquam aut generis nobilitati, aut personarum dignitati, & auctoritati condonavit: cujuscumque vel levissimum errorem, vel erroris deprehensam suspicio-

(XXIX)

nem summâ severitate coercuit; utque pro suâ virili parte cohiberet, saepissimè admonuit Integerrimum illud Fidei Sanctae Tribunal, Religionis nostrae inviolatam arcem, & munitissimum praesidium. Quae quidem nisi ego ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam oratione laudari possint, amens sim. Sed tamen sunt alia fortasse non minora. Equidem nescio, Auditores, quo misero fatum nationes omnes, ac plerosque ferè omnium gentium homines innovandi quoddam tanquam cacoetes corripiat, in diesque latius serpat, in Religionem ipsam quâdam contagione desaevit. Nullam, D. O. M. sanctè juro & obtestor, verae Religionis cultricem gentem carpere, aut de naturae rebus novas vel conceptas opiniones, vel philosophandi excogitatas vias multas certè amoenissimas atque utilissimas vellicare est in animo; neque decebat me indoctum homuncionem eruditos homines, & fideles nationes in invidiam vocare. At quaenam fuit hâc nostrâ tempestate majorum auctoritate fulcita sacra consuetudo, quam despiciatissimi nullius pretij homines nullius doctrinae libellis, salibus tantum & venenatis aspersis jocis non aut apertè contemnant, aut veteratorijs artibus oppugnent? Quemnam venerandae antiquitatis sanctum usum, efraenata novandi libido per-

(XXX)

vertere non est ausa? Ut jam non modò epulas, vestimenta, comendi capitis rationes, sed sacratiores, atque antiquiores Ecclesiae usus immutandi arbitria obscurissimi terrae filij, solâ impudentiâ cogniti, penes se esse delirent. Ac (ne plura in re dolendâ non minus quam notâ congeram) quot quantaque in Ecclesiae ritus, in caerimonias sacras, in pientissimas traditiones inductae novitates? CAROLUM verò nostrum, velut firmissimam medijs in fluctibus fixam rupem, nulla tempestas, nullus novitatis turbo commovere unquam potuit. Namque, ut erat ille valdè inimicus novitatis, adduci nullo modo potuit, ut in retinendis antiquis sanctissimisque Hispaniae nostrae ritibus, disciplinis, traditionibus aut sententiâ ipse cederet, aut insolentioris doctrinae ventis undique flantibus agitari sua regna atque abripi pateretur.

Non me fugit hâc potissimum re gentem nostram, tanquam imbecillem ac superstitiosam, ab exterorum pluribus sugillari ac propemodum irrideri. Verumtamen si quòd antiquis religionis nostrae institutis obfirmatè adhaerescimus, si quòd piarum externi cultus caerimoniarum tenacissimi Romanaeque Sedis observantissimi sumus, si quòd ab his, quae sacra respiciunt, consuetudinibus nelatum quidem unguem discrepamus, si quòd ve-

(XXXI)

tustate & communi consensu receptas traditiones exosculamur, verbo dicam, si quòd nuperi hispani antiquis hispanis sumus simillimi, superstitionosi habemur: ò sapientem! O beatam hispanorum superstitionem! O enimverò sapientem, pium, religiosum CAROLUM, qui hâc felici superstitione obstrictus ipse, & populos devinctos esse volens, integram, purissimam asseruit virginem illam suâ ipsâ antiquitate pulcherrimam, Christi sponsam, quam novitatis lenocinijs corrumpere tentant ij, qui Philosophorum nomen sibi arrogant, homines perditissimi. Quod ne hâc nostrâ tempestate apud Hispanias contingeret obfirmatis fide & animo CAROLUS obstitit: ut ne tamen ullo unquam saeculo tantam patiamur labem, obisset porrò Virgo illa haeresum omnium potentissima debellatrix, verae Religionis Auctoris vera ipsa Mater, cujus CAROLUS ope suorum felicitati ac religioni populorum tantopere consuluit. Sentio vos, viri spectatissimi, nimium audiendo ac sedendo defatigari, meque tam multa loquentem vocem ipsam lateraque deficere. Qui verò sine summo piaculo possem istud CAROLI Hispaniarumque religionis ac pietatis insigne argumentum leviter saltem non indicare? Extat aeternumque sine fine Ecclesiae annalibus consignatum

(XXXII)

extabit Regis nostri consilium, qui Hispaniam totam omniaque quibus in utrâque Americâ regna dominatur, Virginis à conceptu Purissimae tutelae commisit, cum eam opulentissimae suae ditionis in Patronam elegit, utque ritè electam Summus Pontifex confirmaret, omni ope curavit. Quod verò ipse ab Apostolicâ Sede impetravit, ut solemnibus Mariae Virginis precationibus illa adderetur laus, quâ apertius multò ejus sine laebe conceptum profiteamur, quantum Mariae contulit gloriae, quamque sui erga illam devotissimi amoris exinimum posteris monumentum reliquit! Profectò quamdiù sacra templa, nobilium domus, humiles casae dulcissimis illis resonent vocibus, *Mater Immaculata*, tandiù CAROLI religio, atque in Deigenitricem observantia memoriâ & laudibus vigeant. Extat, aeternumque extabit non marmoreis insculpta lapidibus, sed è nobilium pectoribus pendens CAROLI memoria, illo ab se Militarium Equitum instituto Ordine, quem Purissimae Conceptae Virginis & appellatione & expressâ insigni Imagine distingui voluit & coonestari. Extollat sanè Hispania suorum Regum gloriosa cognomina: Castos, Bonos, Prudentes, Pacificos re & nomine nactam fuisse gloriatur. At cum CAROLUM alij Sapientem, alij Religio-

(XXXIII)

sum, Pudicum alij, ac si placet, Optimum appellent; ego verò *Marianum Regem* cognominabo. Eapropter non casu, sed Divinâ Providentiâ, & Immaculatae Dei Matris munere factum existimo, ut cum ille Matritum postridiè Conceptae Virginis solemnia prima, faustissimo sanè omine, regnaturus advenerit, pridè illius diei, quo solemnia eadem claudit Ecclesia, sacramentis ritè munitus, ac Catholicae Religionis quam cum lacte suxerat, ad extremum usque spiritum observantissimus, regno vitâque functus fuerit. Non heic ego vestros animos tristissimo casu percussos & prostratos, fletu & lachrimis, funeri ut tanto officia persolvatis, acerbâ peroratione commovebo. Quantaecumque enim sint flendi & dolendi causae, in solatio est: quòd meliorem, quantum humanitùs fas est credere, vitam in beatissimis sedibus adeptus CAROLUS, adeptus est item naturâ filium, moribus similem, communis salutis & religionis sanctae conservandae studio parè, CAROLUM alium, successorem. Et quoniam te (Rex Potentissimè) Filio Optimo, maximum Patrem amissum solatur Hispania; per illum quo tu Patrem, Paterque nos complexus est amorem, perge, quò jam coepisti: auctoritatem, potentiam, mentem, consiliaque omnia confer ad publicam populo-

(XXXIV)

rum asserendam felicitatem, adque Catholicam Romanam Religionem integram conservandam. Ad hanc te glóriam CAROLUS genuit, voluntas exercuit, benignissimus atque amantissimus Deus servavit. Quod ad nos attinet, quando per locorum distantiam non licet regiam dexteram deo-seculari supplices, ab Deo O. M. ut diutissimè ac prosperè Rex vivas, precamur. Tibi enim verò hanc tui patriaeque Patris susceptam tuo jussu laudationem, publicae felicitatis, ac religionis sanctae nomine primum hoc, leve quamvis ac fle-

bile, suae fidei, observantiae, amoris votum

Nova Hispania ex animo nuncupat.



ELOGIO FUNEBRE

DEL MUY EXCELSO,

MUY PODEROSO,

MUY AMABLE SEÑOR

DON CARLOS III.

REY DE ESPAÑA,

Y DE LAS AMERICAS,

QUE EN SUS EXEQUIAS

MAGNIFICAMENTE CELEBRADAS

EN LA SANTA IGLESIA

METROPOLITANA DE MÉXICO,

PRONUNCIÓ

EL SEÑOR DOCTOR, Y MAESTRO

DON JOSEPH SERRUTO Y NAVA

CANÓNIGO MAGISTRAL DE ÉLLA

EL DIA 27 DE MAYO DE 1789.